


C 1602



935
RHK III.
variaus
No 1962.



pro amico Petro Biskopski & olovo Step. Kegelius

Ornatissimo Iuveni-Viro

Dn. STEPHANO KEGELIO
POSONIENSI, SALVTEM.



Rtibus excultus doctis quia linquis
amicos,
Quos tibi sincerus conciliavit amor:
Leucoream & satagis propero pede
pergere ad urbem,
Vastus ubi pingues irrigat Albis agros:
Tectaq; Cecropiis sunt consecrata Camœnis,
Atq; Aganippæis castra dicata D E I S:
Artibus ut polias lacris magè pectus honestum,
Queis sine vita hominum turpis inopsq; manet.
Rite facis: nec successores illa carebit
Felici, siquidem doctus ubiq; placet:
Doctus ubiq; placet, fovet omnis terra peritos:
Docti vita decus, vita sine arte probrum.
Comprecor omnipotens cœptum ut fortunet Iesvs
Istud iter, celeri perficiasq; pede.
Perge igitur Ihovæ comitatus numine, perge
Nec Notus insanis te remoretur aquis.
Vive diu felix: insignia stemmata semper
Sint Christus, pietas, religio atq; fides.

Nicolaus Theókeöli Liber Baro Ungarus in
Keismark.

A 2

Ad



AD
Dn. STEPHANV M. KEGELIVM
ex Gorlicensium Gymnasio abeuntem,
AMICUM SUUM.

Vem tibi per Syrites comitem, per inhospita saxa
Comprecer, Aonij flos per amane iugi?
Per freta florentem qui Colchida ludit la-
Et redit aurae vellere dives ovis: (son,
Nil nisi virtutum tenet altamente reposta
Dogmata, Chironis dulcibus hausta labris.
Sic tibi quam nostro juvit didicisse Lycéo,
Virtutem adiungas: cætera fide Deo.
Nullum NVMEN abest, si sit IHOVA & aurea VIR-
O quis fortunam garriet esse Deam? (TVS.
*Iaroslauus à Smirzicz. Liber
Raro.*

PO SO NIVM geruit te, formavere parentes
A pueris, docuit GORLICIANA schola.
Nunc quia laudandis apicem placet addere ceptis,
Claris fata viris docta Lycéa petis.
I pede inoffenso, quo te Deus & bona Musa
Ire jubent, patriæ ô spes memoranda tuæ
In omnem tuum prestantibus exprime factis,
Atq; coronatus multiplici arte redi.

M. Martinus Mylius ex Scholâ no-
strâ feliciter discedenti faciebat.

Auri.

AVriferi laudant pars maxima Gangis arenas,
Atque lapillorum, quas tulit Indus, opes,
Suspiciunt alij proavorum nomina avumq;:
Sunt, quibus arridet mobile, forma, bonum.
Mirantur fasces alij sœvasq; secures,
Subiectisq; procul regna timenda viris.
Ampla quibuscumq; hæc & laudibus apta videntur:
Nil sapiunt rectum: laude aliena vehunt.
Laudabit Sapiens sua quæ bona propria cuiq;:
Quæ sors, quæ fera vis surripuisse nequit.
Tali animus ratioq; hominis perfecta feretur
Laude, suis utens quæ nitet ipsa bonis.
Si quis talis erit, qui sese possidet ipse:
Est animus sedi proximus ille Deum.
Parte etenim majore sui cælestibus hæret
Mentibus: unde sui semina prima fluunt.
Recta sapit, Stephane, & laudari jure mereris:
Cui proprijs mens est fulgere posse bonis.
Consummare animi bona, queis & natu es, ardes:
Hæc egit patrios linquere causa lares:
Hæc te Gorlicio celebrem dimittit ad Albim:
Quæ propria expolias perficiasque bona.
Perge viam, cui mens aspirat, numine dextro:
Perge bonis proprijs ire per ora virum.
Nec te diversum rapiant aliena: vigebit
Aeternum proprijs fama reperta bonis.

*M. Elias Cüchlerus Gorlicensis
Schola Collega.*

LEucoream tecum, à Nobis abiturus, ad urbem
Menè salutantum vota tacente feras?
Nec tibi digressu grater ventura supremo
Gaudia, quæ studijs spondet Apollo tuis?

A 3

Vade:

vade, invise mihi quondam dilecta Lycæ
Albidos ad ripas: auspice vade ihovæ.
Auspicio ihovæ fac omnia agenda gubernes:
Successu citra opem Numinis acta carent.
Mens tua sit studiis addicta, sit actio honestis.
Ut melior redeas arte aliquando domum.
Scilicet huc per iter longum è tellure profectus
Altrice, ignotis isq; redisq; viis:
Ut docto vitam formes virtutis & artis
Vsu, animum veri cognitione Boni.
Captâ perge viâ: studiis benedicat honestis
Numen, honestatis causa caputq; tuis.
Hoc opto verbis: mens multò plura precatur:
Gaudet enim vita prosperitate tua.
O quam ridebit mihi pectus: ubi audiet olim.
Felicem ad patrios te redijisse lares!
Memnonis hanc uitinam, Solis prænuncia, mater
Quamprimum rutilo proferat axe diem!

M. Iohannes Falkenhain.

Quo, Stephane, egressurus abis? Patriosq; penates
tuosq; vis revisere?
Præsertim cum Turca furens, & Tartarus urens;
minis & armis fulminent?
Non. Sed Eos, illamq; Deo committo potenti
votis fidelioribus.
Ergo oblitus eris patriæ, in patriaque tuorum?
vel extimes periculum?
Leucorin ingredieris? nec ibi sunt omnia tutæ,
gestitq; Nereus prælium;
Barbaries gestit cultis inimica Camænis
te subjugare militem?
Non obliviscar patriæ, in patriaq; meorum,
quamvis ab hisce distrahar:

Neve

Neve mihi mens est adeò muliebris & excors
ut expavescam prælium.
Vicit amor S O P H I A E legumq; sacrata cupido,
C A L E G I A M provisere:
Nerea nil vereor, stupidos prædetur in Albi
præterfluente aquatiles:
Barbariemq; aspernor anum, quò vapulet isthæc;
tergum fuga non vertero.
Hæc bona mens, bonus est animus: Fidentior exi
ad castra liberalia.
Vngara si petitur sævo tot acinace tellus,
DIsCors & est GerMania:
Ipse Dabit paCeM; vertet discordia corda
in mutuam concordiam.
Tu modò sis alacer, Musis operatus & Ipsi
Regi beato cœlum:
Virtutem cole sidereum; fortuna levatrix
virtutis est pedissequa:
Deniq; eris vere Stephanus, si quando corona
domum redibis laurea.

Auctioris Hausti Zittani.

Non unda cursu si fluitet cito
Olet palustris: nec mare perpetum
Silentibus ventis quietum
Candidulas ager ore spumas:
Tortos pererrans continuè sinus
Spumescet æquor. Vitis & haud fere
Vvam: frequenteis traduceis nî
Vitisator scrobibus recondat

Biden-

Bidente navus , prosubigátq; humum
Subindè rastro gramineam gravi,
Fimoq; spargat rariores
Pampineos dabit illa botros.
Te nosle id ipsum , qui patriâ cluis
Virtute, testis non levis afferit
Titan , in castris igne edaci
Pervolitans duodena signa.
Ister , puellum quando binominis
Te vidit athram surgere ad igneam,
Applausit, irroransq; lymphā
Fovit amore calentem & annis:
Hic hic paternos ingenij lares
Redintegrabit dotibus ampliter,
Dicens , paterna stemna gentis ,
Hic STEPHANVS decorabit. Omen
Haud spero fallet , spondet id optimè
Nomen corollæ quod gerit & terit,
Icona nam priscain recondet,
Sufficiétq; recentioreum.
Amice nisu niteris arduus
Faventibus sis ut favorit bonis
Linquens focos , aras , amicos
Delicias genialiores.
Adire gressu Nissicolas aves
Veloce Musas ilicet , arduum
Temnens iter , frigus , calores
Nimbisoniq; pericla Cauris
Iuga expetiscis scandere frondea
Bicornis acer Phocidis : hic ubi
Pimpleides sedant Camænæ
Ambroſiâ esuriem salubri ,

Sitimq;

Sitimq; stinguunt guttulis affatim
Liquore siccum nectaris aureo.
Auctore conspecti Tonante
Pierias oculis sorores :
Quamvis decoris jam tenebras procul
Fugâris atras pectoris artibus ;
Nil scire te credis , recessus
Nî penetres Sophiæ altioris.
Vis lympha spumis fluctuet ut fugax ,
Vitis racemis sit locuples ferax ,
Contendis ergò docta velox
Mœnia Leucoreæ subire.
Iter secundet comprecor arbiter
Orbis , poli Rex , luceat aureus
Conatibus sol , & labores
Prosperitate beat beatâ :
Felice celsa ut Leucorei pede
Tangas Lycéi limina : nec polus
Halet vapores : pædagogos
Atq; habeas facileis Camænas :
Natalis aræ culmen & in similitudine
Labore functus , conglomerantibus
Musis ; amicis , matre salvâ .
Incolume incolumis capessas.

Stephani P. Miscoicini Pannonij.

Vis quid amicitiae valeat : bene viderat olim
Pirithous , Theseo qui bene janctus erat.
Non socius socium liquit : iuratus amico
Theseus ad stygias sed comes iuit aquas.
Vis quid amicitiae valeat Damona videto ,
Qui Pythia totus captus amore refuit.

B

Fulmina

Fulmina non fortis, non spicula mortis amicos
Mutarunt: constans mens utriusq; fuit.
Vis quid amicitiae valeat præsensit Achilles:
Qui Patroclī ultus per nova bella necem.
Semper erat tutus falsa sub imagine Achillis,
Armis sub falsis post tamen ille cadit.
Vis quid amicitiae valeat præsensit Orestes,
Quem Pylades captum mente secutus erat.
Neuter erat Pylades, sed uterq; volebat Orestes
Esse: trucem voluit quisq; subire necem.
Vis quid amicitiae valeat, mihi testis Achates:
Testis & Aeneas, vir pietate gravis.
Vnus erant duo, corporibus duo, mentibus unus:
Fidus & invictus mansit uterq; malis.
Vis quid amicitiae valeat: testabitur armis
Euryalus fulgens, Hyrtacidesq; celer.
Effugium patuit Niso, poteratq; perempto.
Euryalo celeri salvus abire fuga:
Sed medios infert sese moriturus in hostes:
Vindicat & socij se aper arma necem.
Se super exanimem occisus proiecit amicum,
Ori coniungens os, manibusq; manus.
Deniq; quid valeat, testes Ionathasq; Davidq;:
Mens quibus una, cor unum, atq; anima una fuit.
Non hunc sors tristis, non mors fera terruit illum,
Alter ob alterius fata dedit gemitus.
Et tu pars animæ, K E G E L I, maxima nostra,
Tu mihi qualis eras? fidus amicus eras.
Fidus amicus eras: colui quem cultus & a quo
Semper eram: post hac fidus amicus eris.
Vnus amor nobis semperfuit, una voluntas,
Vis fera nulla fuit; lis mala nulla fuit.

Lusus

Lusus & usus erat nos inter, & usq; deinceps
Nos intersocius lusus & usus erit.
Non moris sed amoris erant, & signa favoris
Fædera amicitiae, ridiculq; iocu.
Cur me nunclinquis? fratrem ne desere frater:
Cur mihi non tecum est unum iter? una via?
Fata vetant, prohibetq; parens, obstatq; voluntas
Tutorum: mihi quæ sit mora tute vides.
Tu mihi sis Pylades, ego me tibi spondeo Orestem,
Scipio tu mihi sis Lælius alter ero
Castras ubi modo Musarum, post astra subibis:
Astra inter doctos doctus Apollo locat.
Castras gula fugit: rasta trahent: qui pocula siccant
Friget ibi virtus, quâ gula regna tenet.
Leucoream sine me sedem terrasq; salutes,
Albis quas tepidis findit amarus aquis.
Vade bonis avibus: (nec me, licet aspera fatæ
Fata movent!) faustas ingrediare domos.
Ingrediare domos ubi canticos apollo choreas
Exercens Indum pectine pulsat ebur,
Vade bonis avibus quo te virtusq; Deusq;
Ducunt: his cinctus tutus abire potes.
Vade bonis avibus: redeas melioribus, & te
Non labor aut æstus, nec remoretur hyems.
Nam si quid multo sudore operaris honesti,
Moxabit ingrati grande laboris onus.
Ast tibi semper honos, nomen, laus, gloria presto est,
Nec sine laude mori te tua fata sinent.
Dedecoris si quid dulcedine contrahis actus
Mox dulcedo perit: de decus usq; manet.

Sebastianus Ambrosius.

E C H O.

Dic age frondosis habitans in vallibus Echo,
Redde rogata sonum: pauca notabo: Ech. dabo.
Dic mihi, Nissicole lachrimis curlumina Musæ.
Fedant: & mater slet generosa? Ech. rosa.
Num quis Parnassi linquens fastigia montis,
Nunc abitum terris hisce parabit? Ech. abit.
Quis tamen ille refer: quo Divæ carmen eunte
Non ulli resonant gutture suave? Ech. fave.
Dic, faveo: forsitan Stephani qui nomine gaudet.
KEGE LII? verum me fore reris. Ech. eris.
Hic ne meus sedes alias aditurnus amicus?
Heu quam dixisti non mihi grata! Ech. rata.
Tam citò dilecta socio mihi, Nympha, carendum:
Dùm cupid ille viæ trita secare? Ech. care.
Ab nec amicorum quid vota precessq; valebant:
Humida nec lachrimis ora geneq;. Ech. neg.
Sed quid multa queror? fato fortasse iubente,
Qua rigat Albis aquis gramina, vadit, Ech. adit.
Ergo more parva mibi concedantur: amico
Faustajuvat solito dicere more. Ech. mora.
Auspiciis lati abeat, quam tendit in Urbem:
Ut possit Musis invigilare. Ech. lare.
Excultus studijs animum solertibus, olim
Posideat regnum spirituale. Ech. vale.

Georgius Langius Gorli,
censis Lusatius.

B 3 Stephæ

Tempore quo passim Cereali mergite culmi
Detonsis lucent in agris: micat igneus ortu
Sirius, & calidos in prata pecusq; furores
Exercet: medio discordes æthere Divi
Certarunt inter se, diversa moventes
Consilia, & varios verterunt pectore sensus:
Cùm STEPHANVS terras alio sub sole jacentes
Visurus Nissum & Musis recta hospita liquit.
Mars prior ingreditur: duce me tolerare labores
Militiae assuescat juvenis nunc vivida bello
Dextera: nunc vernat sanguis: nunc fortior ætas:
Nunc etiam patriæ subeat spes æmula laudis.
Olli fas vitæ florem pro laude pacisci.
Quem contra Phœbus: non hæc spectacula tempus
Deposcit: veterum præclara reperta Sophorum
Evolut prius: ac rerum cognoscere causas.
Tentabit, studio haud florens ignobilis ocl.
Nunc ò nunc fas est laudum & virtutis amore
Succensum latices undai Castalhai:
Imbibere: ut quondam doctum volitare per ora
Docta virūm queat, & studijs extendere famam.
Quos inter Tyrio incedit spectabilis ostro,
Ultima cœlestum quæ terras, Diva, reliquit
Sanguine turpatas, ac talibus ora resolvit:
Nec volo nec possim dictis contraria ferri
Phœbe tuis: esto, veterum monumenta Sophorum
Nocturnâ volvátq; manu volvátq; diurnâ:
Tempus erit, quando nostris penetralibus hospes
Succedens vigil, addiscet componere lites
Legis ad arbitrium, & populis dare iura vocatis.
Ipsa ego Dux facti persolvam digna laborum
Præmia, perpetuo vernantem flore coronam:
Sic benè convenient rebus sua nomina, quando
Res ipse ex ipso derivant nomine nomen.

Abrahamus Roth Freist. Siles,

Dic

Stephanus Cegelius

avagapumariat eis.

HEU, SAT PENU GLISCES.

P Rincipiis sophiae imbutus Cegelius ardet
(Nam virtutis amor stimulis ire altius urget)
Per syrtes, silices, per saxaq; quærere tandem,
Quà se flectat iter, Themidos quod ducat in aulam.
Cumq; viam affectat: Phœbus sua castra sequentem
Compellat iuvenem, dictisq; affatur amicis:
Perge DECUS MAGNVM patriæ redditure tuisq;
Ipse tibi Comes, ipse dabo vidisse Sorores.
Hoc gaudet socio Iuvenis: sed fortè ruebat
Mars in bella ferox, gradientibus obvius, audax
In Phœbum stringit mucronem, atq; increpat ultrò:
Heus bone vir, Iuvenem quæ ducis ad ardua montis?
Per deserta iugø, convexo in tramite sylvæ?
Estne tuus? meus est, PATRIA virtute decorus.
Ast Phœbus; meus est, in nostris militat armis.
Mars iterum; at nostro sub signo emersit in auras.
En ancepe animi Iuvenis secum alta volutat
Consilia alto corde; alacris mens ardet ut runq;
Nam castra aut aliquid jam dudum invadere magnum
Illi mens agitat; summosq; affectat honores:
Iamq; sequi Phœbum, jam Martem suadet & idem
Instillatus amor virtutis flore Iuventæ:
Musarumne prius capiat Martisne decoram
Cognatamq; suis Laribus virtute Coronam?
Ast ut nobilior mens; sic præstantior urgeat
Vis animum ambiguum, pateat quâ semita monstrans
Quæ rectâ ducat summa ad fastigia honorum.
Ergo parat primâ sudore cacumina Montis
Scandere quo Suasor se celsâ Phœbus in arce
Iactat, & alta Themis, diadema manu, aurea, flectens.
Fulminat ore fremens, Mars, Phœbo vinctus. at illum
His dictis blandè Thmidos novus incola mulcet:

Pace

Pace tuâ fiat Mayors: Te fautor & auctor
Stemmatis ô nostri, nostri qui Nominis AVR A,
Tene sinam? Te? quo florent Genitoris honores.
Non ita: thesaurum pietatis, mente reponi
Præstat & heroos heroo pectore mores.
At tibi quæ patria est spectata probataq; virtus
Firma manet; mihi quidq; animi paro, comparo Marti.
His Phœbas dictis gaudens miratur, & ingens
Ingenium Iuvenis spectans, radice paternam
Virtutemq; micare novam; casto ore tumultus
Et plausu fremitus ciet & nova Symbola figit
Militis in clypeum docti: TV M ARTIS ET ARTIS
HEU, SAT macte PENU GLISCES: mea perge voluptas.
Ergo tibi tantos cum Phœbo grator honores.

Martinus Cislingus Zittanus.

DOCTA MILITIA.

Militat omnis amans Phabi: sunt castra Minerva:
Sic est: Musarum militat omnis amans.
Quæbello est habilis, Musis quoq; competit artas:
Nil præstare viri languida membra queunt.
Ingenio tardans abeat: nil Martis honorem
Segnior extendet: turpe senilis amor.
Militis officium longa est via: scilicet altus
Parnassi collis sidera summa petit.
Ibit in adversos montes duplicataq; miles
Flumina: Pieridum vepribus horret iter.
Mania scandenti jam tandem extrema minantur:
Hic labor est, ne vel rursus ad ima ruat.
Post ubi victoris victricia signa micabunt:
Tutus eris: Phœbi sunt superata juga.

Quili-

Quilibet accinctus prædis; hunc aurea tergo
Ponēra curvabunt: hic pede claudus erit.
Leta cano miles: nñllius dixerat tarda:
Exultant omnes: premia quisq; cupit.
Nec tu Musa diu dormis: quin præmia poscas,
Præmia fructifero digna labore tuo.
Sudorem sequitur merces: nam tempora cincti
Victores abeunt: hic modo templa petit.
Curia dat census: hunc Principis aula fovebit:
Militiæ doctæ præmia tanta vides.
Mars quid acerba fremis? currus cur sevior urges?
Quin frenant & equos docta trophyæ tuos?
Hinc tu K E G E L I Musarum culmina, nate
Martis in imperijs altius ire paras.
Restat iter durum: sed gressum audientior urges:
Pallas adest, nil quod te remoretur habes.
Musa triumphi necet tua tempora lauro:
Scande, cadis: rursus scandito, victor eris.
Tympana pulsantur sociis: te Nissus ad Albim
Mittit: sis Phabi miles in arce bonus.
Dum loquor indomitum video compescier Eurum:
Aura favet, curras: cras tibi plura: vale.

Bartel Saxo Gorl: Lusatius. f.

DUlcia Pegasidum sectatur castra fororum
Quicunq; & caput Aonias sublime per artes
Effert, hunc nunquam capient oblia Lethes
Tristia sulphureæ, sed perpere flore per orbem
Inclita fama feret, post ultima fata superstes.
Aspice Meonidem, famam qui terminat astris,
Quam tulit egregium gestis ex rebus honorem?
Quæ regio in terris docti non plena Maronis?

Quis

Quis gentem Latiam? quis Romam nesciat Urbem?
Virtutesq; virosq; tulit quos Itala tellus?
Scilicet hoc illi diu virtute pararunt,
Hoc illis Musæ, & duri peperere labores.
En ut vana perit vesani gloria mundi,
Intercunt tandem spectantes summa Colossi
Altra, ruit Mausolei structa sepulchri.
Sola viget virtus, crudelis funeris expers,
Sola per æthereas alis perniciibus auras
Evolat, & meritò spoliari nescit honore.
Te quoq; dum accendit tantarum gloria rerum
Dùm virtute tuum tentas extendere nomen
KEGELI, & varios (quid mirum?) ferre labores.
Nam te Pierides genetricis ab ubere raptum
Erudiere suis donis, Te magnus Apollo
Artibus Aoniis primævo flore juventæ
Instruxit, mentemq; rudi formavit ab ævo.
Te, qui laudis amore cales, iam Leucoris ora
Invitat, veramq; viam tibi spondet honorum.
Qua sola poteris fulgentia sidera adire.

Ergò quandoquidem rerum sic impetus urget,
Atq; amor accedit stimulos sub pectore laudis.
Vade bonis ducibus, cæptos urgere labores
Perge petens doctas feliciter Albidos undas.
Vade age & excelsum propriis fer ad ethera factis
Nomen, idem seri tollant super astra nepotes.
Hoc virtutis opus, magnorum hæc meta laborū.

Martinus Schefferus
Gorlicens.

Lin-

LInquere dum visum est Tibi me, dilecte Kegeli,
Claraq; Leucoreæ visere tecta scholæ.
Conquerat, an sileam, remorer tua cæpta, vel ultrò
Instigem, dubium sors inimica facit.
Vade bonis avibus: redeas melioribus opto:
Dirigat & cæptum Numinis aura tuum.
Illiux auxilium studiorum cæpta secundet:
Vt quondam patriæ sis maneasq; decus.
Vade bonis avibus: benè mox rediture, Kegeli:
Et semper Mylij sis memor, oro, tui.

Ernestus Mylius Gorl.

Siccine spe citius præclari tecta Lycei
Linquis quâ Nissus vitreus arvarigat?
Siccine jucundos tua gaudia linquis amicos,
Cordis KEGELI portio magna mei?
Sed stimulis monitris avis virtutis, ad arces
Aspirans Themidos non sine laude, tua.
Ergò cum reliquis meritò tibi grator amicis,
Postulat hoc grato corde profectus amor.
Te laudent reliqui, quæis est tua cognita virtus:
Clarior est auro, clarior igne micat.
Ast ego panca fero, multo mihi cognitus usu
Verus amicus eras, verus amicus eris.
Auspicijs contendebonis, quo te tua virtus
Avocat, inceptum Iova secundet iter.
Ille tuis favet, dexterq; laboribus adsit:
Detq; fruare bonâ prosperitate diu.

Iohannes Gæander Freista-
diensis Silcius.

Kegel

KEGLIVM, fato dextro ducente, potentem
Externas sedes, nuncia fama refert.
Docta licea scholæ replet, volitansq; per urbem
Emittit tales ore tremente sonos.
Plangite Nissiades Nymphæ, perterrita toto
Velarunt faciem sidera clara polo.
Plangite, tuq; refer solitas Hyacinthe querelas
A tenerâ tristes exere fronte notas.
Et tu Phœbe tuum luge clarissime Natum
Ardens cui Musas noscere cura fuit.
Et qui concendit Parnassi maxima montis
Culmina, perpessus grande laboris onus.
Plangite, KEGELIUS longinquas tendit in oras,
Et Marte ac Musis splendida regna petit.
Dixerat: attonitæ vultumi miratur & ora
Pastor ab Amphryso, & mutua dicta refert:
Parce metu, finem fac questus atq; doloris:
Sic est in fatis:oris amaror abi.
Hc tibi fabor enim quod nostras deserit oras
Me quoque non parvo cura labore premit
Sed quia fulgentem tribuet Themis ipsa coronam
Atq; ipsum reddent prospora lata mili:
Incipit hic animi tandem dulcescere mæror.
Tristitiae nebulas spe removente mæ.
Talia magniloquo postquam memoraverat ore,
Obsessam sudor frigidus ecce fugit:
Cæruleæq; abeunt toto de pectore guttæ
In cuius subiit forma vigorq; locum.
Hinc ambo ascendunt Parnassi culmina montis,
Quo tractans artes turba novena latet.
Exemplò reliquas inter pulcherrima Nymphas
Dicta Themis surgens, talia voce refert:
Indolis egregiæ tibi non natura negavit
Dona tuæ mores addidit ipsa bonos:
Elucet vultu pietas & gratia mitis
Insidet atque animo candor & alma fides.

Hue

Huc igitur flectas cervicis candida colla,
Ut cingam nitidum fronde virente caput.
Hoc vitæ probitas, hoc nomen flagitat ipsum,
Nam STEPHANUS SERTUM, nomen & omen habet.
Et velut exornat verno de flore capillos
SER T V M, sic ornet vita modesta tuos.
Quid super est? votum, Albiacas ut salvus in oras
Pervenias, supplex Numinis sancta precor:
Atque tuæ crescant doctrinæ semina coeptæ:
Sic erit ingenio gloria magna tuo.

*Bartholomæus Mollerus Fraunsta-
diensis Sil. amoris & memo-
ria ergo faciebat.*

F I N I S.



